

Pax Christi.

Illustrissime Cardinalis.

Accepi litteras Ill/mae Dominationis Vestrae, quibus, divina providentia, Sedis Apostolicae benignitate, ac singulari favore ac gratia D/nis Vestrae, spiritualibus externorum necessitatibus consultum est. Dolebam nuper cum, revocata (ut videbatur) facultate absolvendi ab haeresi, bonam aliquorum Anglorum adiuvandorum occasionem praeterire animadverterem: nec minus mancipiorum dolebam vicem, quibus adiuvandis haec facultas aequae necessaria nunc est ac superiore anno, eritque necessaria quandiu mercatores christiani cum Turcis negotiantes, seu pietatis seu lucri causa, christiana mancipia e Turcarum Tartarorumque servitute coëmpta huc asportabunt. Tartari enim praedones Russiam, Moscoviam caeterasque regiones sibi vicinas saepe invadunt, praedas agunt et miseros christianos utriusque sexus omnisque aetatis in servitutem inde abdudunt, et Constantinopolim tandem eos transferentes in Turcarum manus precio tradunt, à Turcis demum christiani mercatores eos emunt et in has partes vendendos advehunt. Horum mancipiorum casus omni commiseratione dignus est: quippe in patria sua à sacerdotibus schismaticis sanae fidei doctrinam fere nullam, nec morum praecepta nisi superstitione admixta didicerunt: a Tartaris deinde ac Turcis unumquodque tantum plus mali didicit, quanto diutius inter eos habitavit: huc vero delata, sacerdotem non inveniunt qui linguam ipsorum calleat. Ego autem longo usu assiduaque consuetudine cum iis de rebus fidei ac morum tractans, sermonem italicum seu siculum ab iis procedente tempore utcumque prolatum percipio, et ita me illorum captui accommodo ut ab iis quae dico intelligantur. Quod si post multum temporis diuturnosque in illis tanquam Indis excolendis labores, impedimentum confessionis deprehendatur, nec fidei Inquisitor adest, nec si adesset remedium adhibere posset, timidum enim genus praesertim foeminarum est (quatum maior copia), quae foemineo pudore vix confessa-

/ rio arcana suae conscientiae aperiunt, ut ab iis non sit sperandum  
quod Inquisitor palam sua evulgent, nec Inquisitor sermonem ab il-  
lis male prolatum videtur percepturus. [ Sed quorsum haec ego Ill  
/mae V/ae Dominationi ? ut intelligat quantum beneficium et mihi  
5 quantam gratiam contulerit illorum necessitati consulendo et meo  
labori, ne inanis redderetur, favendo; et quam è divino servitio sit  
quod Sancta Sedes Apostolica providerit ut non ligata amplius mane-  
ant ora boum triturantium, sed sub mitiori christianae servitutis  
iugo liberè possint pabulum spirituale degustare, quod et faciunt  
/0 cum multa animarum suarum consolatione et levius ferunt servitutem,  
dum se in libertatem filiorum Dei vindicata esse agnoscunt. Quod  
beneficium, post Deum, Dominationi V/ae X Ø Ill/mae acceptum refero,  
et una cum illis in quorum utilitatem cedit Deum quotidie pro salu-  
te ac felicitate Ill/mae V/ae Dominationis orabo.

15

Messanae kal. Septembris 1617.

Ill/mae D/nis V/ae

filius ac humillimus in Christo servus

Thomas Berintonus.

(manu Bell.): Questa lettera si conservi per quando bisognasse.